

APPENDICULA

VETERA MONUMENTA DUO CAPITULI AQUILEIENSIS

Alterum duodecimi, alterum seculi decimi tertii, de quibus in dissertatione mentio est capite sexto, parte prima, pag. 116 (Col. 979).

I.

Ex autographo tabularii Canonorum Aquilensium de anno 1183.

Nos Liuprandus Aquileiense Ecclesie decanus, Oto diaconus, Joannes diaconus, Hermannus diaconus thesaurarius, Gompertus diaconus, Joannes diaconus, Rambaldus diaconus, Otacus diaconus, Mainardus subdiaconus, Artuicus subdiaconus, Rempotus presbyter, Petrus subdiaconus, Hermeinardus subdiaconus, Wernerius presbyter, Rodulfus diaconus, Megenardus presbyter, Eliseus presbyter, Leonardus diaconus, Magister Aldigerius acolythus, Thomas acolythus, Petrus presbyter de Utino, et Vodescaleus subdiaconus, omnes canonici ejusdem Aquileiense Ecclesie, Bertoldus vicarius Domini patriarche, Natalis presbyter vicarius Domini patriarche, Natalis presbyter vicarius comitis, sicut jamdudum proposuimus, ita coram Domino papa ejus promittimus manutenere justitiam Aquileiense Ecclesie, et prosequi ipsam coram Deo et sanctis contra Gabrielem prepositum, qui contra privilegium institutionis communis vite Vodalrico patriarcha apostolice sedis legato, consentiente cuncto capitulo, confectum, et contra privilegium beati patris nostri Lucii pape de confirmatione ejusdem communis vite per nuntios nostros nobis directum veniens, administrationem communis totius vite per comminationem propinquorum suorum, nobis propter timorem personarum nostrarum consentientibus, abstulit, et injuste detinet; et quidquid Domino papa super hac controversia statuere placuerit, nos cum omni obedientia et devotione volumus recipere.

Et ego Liuprandus presbyter Aquileiense decanus dico, etc.

Omissis.

Ego Dominicus presbyter vicarius Wernardi Tergestini episcopi dico, etc.

Omissis.

Ego Natalis presbyter vicarius Concordiense episcopi, dico, etc.

Omissis.

Nos omnes prenominati canonici addimus ad hæc et uno ore testificamur, quod per mediatores nostros obtulimus preposito redditus duodecim marcarum annuatim, si ipse vellet quiescere et non auferre nobis administrationem. Sed ipse nobis, consilio fratrum suorum et aliorum qui in rusticos nostros

A modo dominantur et bona eorum diripuerunt, respondit quod nihil reciperet nisi sibi administrationem traderemus. Quod ipse prepositus præter debitum factum indebita exactione rusticos exspoliavit et idem fecit sacerdotibus postquam accepit administrationem, unde multi ex rusticis nostris, sicut ipsi dixerunt, jam de mansis nostris aufugissent, nisi ad manus et potestatem nostram unquam redire sperarent. Et damus licentiam nuntiis sic jurandi in animabus nostris. † Signum suprascriptorum canonorum, qui hoc rogaverunt fieri.

Petrus Vener. Capitulane Ecclesie presbyter et canonicus atque palatii Venet. notarius rogatus a decano et ab aliis fratribus suprascriptis, sicut ex ore eorum singillatim audivi, ita scripsi, complevi, et roboravi, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo tertio, octavo die exeunte mense Octobr., indictione secunda, Caprulis.

II.

Actus Capituli Aquileiense de anno 1260.

Nos Asquinus decanus cum capitulo Aquileiense, videlicet venerabilibus episcopis Bonacursio Emaniensi et Conrado Justinopolitano, Artico de Castellerio, Vuodolrico decano civitatis, Vuarnerio de Cucanea, Magistro Henrico de Pulcinico, Magistro Valtero, Alberico cantore, Rosio de Osopio, Bonafide, Rodolfo de Moruzio, Magistro Villielmo scholastico, Conrado de Brazaco, Ricoldo preposito Concordiense, Vuodalrico de Cucanea, Ferrarino, Leonardo de Feugnaco, Berardo preposito sancti Felicia, et Hermanno de Utino canonicis Aquileiense, statuimus et juramento interposito firmiter promittimus servare indulgentiam diminutionis numeri canonicorum usque ad 24 factam in Ecclesia Aquileiense per venerabilem patrem D. G. patriarcham Aquil. auctoritate sedis apostolice, nec contrafecere vel venire aliquo modo vel ingenio, aliquem eligendo vel recipiendo in canonicum, et in fratrem, communiter vel divisim, vel alicui assignando prebendam aliquam seu locum in choro et capitulo atque stallum in præjudicium numeri supradicti canonicorum. Immo nos prædictam indulgentiam diminutionis numeri canonicorum usque ad 24 factam, pro posse bona fide, quantum de jure poterimus, defendemus. Si quis autem canonicorum contra hoc fecerit, vel attentare præsumpserit per annum sit a prebendo Aquil. suspensus. Ad cujus rei certitudinem et stabilem firmitatem præsens statutum fecimus nostri sigilli pendentis munimine roborari. Actum in capitulo Aquileiense, corrente anno Domini 1260, die sexto intrante Martio, sexta indictione.

INDICES

IN OPERA S. PETRI CHRYSOLOGI,

INDICULUS ALPHABETICUS SERMONUM S. PETRI CHRYSOLOGI.

A

De Adam primo et novissimo, cxvii, 520.
S. Adelpho episcopo, cxxxvi, 567.

De S. Andrea apostolo, cxxxviii, 563.

S. Apollinano episcopo et Mart. ccxxxviii, 552

Apostolorum convocazione, virtute, et paupertate, cxxxviii, 544.